

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*

XXVII

an 38

Programma

**D**

ETHARDI HOR-  
STII, IVRIS VTRIVS-  
que. Doctoris, Sacri Lateranensis Palatij, Cæs-  
sareæque Aulæ, & Imperialis Consisto-  
rij Comitiss.

De

*Benevola communicatione variorum  
Privilegiorum Comitissa sue Palatinatus.*



HALÆ SAXONVM,

Typis Erasmi Hynitzl.

Impensis Ioachimi Krusecken. 1605.



DETHARDVS HORSTI-  
VS, FRISIUS ORIENTALIS,  
NORDANVS, IVRIS VTRIVSQUE DO-  
ctor, Sacri Lateranensis Palatii, Cæsareæque aulae,  
& Imperialis Consistorij Co-  
mes.



Ni uersis ac singulis, præsens hoc publicum  
Programma lecturis, aut legi auditoris, salutem  
precatur, ab Aeterno Optimo Maximoque DEO,  
omnis salutis authore. Rectè dixit sapiens Anti-  
quitas. *Omne bonum esse communicatum sui*; ideoque  
cum præmijs & pœnis constare ac contineri to-  
tam Rempublicam, ac sinè præmiorum ac pœna-  
rum justâ atque æquabili moderatione, nullam Politiam decenter  
& condignè efflorescere, imò nec diu saluam & incolumem manere  
& persistere posse cerneret, prudenter constituit, ut à Principe Ma-  
gistratu, tanquam à summo bono, quod post agnitionem Divinæ  
Sapientiæ, toti humano generi in terris datum est, & tanquam ex  
abundatissimis Scaturiginibus amplissimi, lepidissimi & saluberrimi  
fontis, omnes non solum contentiosæ Jurisdictionis, summæ, me-  
diæ & infimæ functiones, verùm etiam omnia voluntariæ Jurisdi-  
ctionis, & Nobilis officij Privilegia, indulta, beneficia, gratiæ, exem-  
tiones, honores, dignitates, eminentiæ, variaque alia præmiorum  
genera, ad pios bonosque & benemeritos, liberalissimè & uberrimè  
emanarent ac profluerent.

Hinc illud etiam est, quòd cum summus Princeps & Imperator  
jura quædam singularia, in signum eximiæ illius suæ Majestatis, fasti-  
giumque supremæ illius eminentiæ & dignitatis, sibi reservata ha-  
beat,

beat, quæ vulgò Regalia dicuntur, & ad supremam Imperatoris Majestatem, auctoritatem, potestatemque illustrandam, exercendam, tuendam, atque defendendam pertinent, qualia sunt, leges & jura condere, Regios, Principales, & alios summos honores, feudaque dignitatum conferre &c. quæ suæ quoque præminentia Imperatores & Reges, singulariter reservare soliti sunt, tanquam Imperatoris Majestatis propria: multa tamen ex reservatis Regalibus, quandoquidem propter Imperialis Majestatis amplitudinem, gravissimorumque negotiorum immensam penè indeficientemque multitudinem, anxiamque & irremissibilem curam ac sollicitudinem totius Reipublicæ, ipsimet Imperatores omnibus actibus interesse aut præesse non possunt, ne quid detrimenti Respublica aliquâ parte capiat, pro eximia ac propensissima sua erga Rempublicam affectione, alijs quoque, quorum sapientiam, pietatem, probitatem, & in rebus gerendis peritiam, auctoritatem atque fidem perspectam habent, delegare committere atque demandare læpenu-merò consueverunt.

Ex his sunt singulares & eximia illa præminentia honorum & dignitatum, quæ ex plenitudine Imperialis potestatis, honestissimoque titulo Comitatus Palatini, viris præclaris, beneque de Respublica meritis, concedi solent: Comitibus enim Palatinis indulgetur, datur, concediturque, ut ad exemplum, summarum privilegiatarum Academiarum, seu Universalium Gymnasiorum, præmissis legitimo trutamine eruditionis, illos qui studiorum suorum curricula diligenter & fideliter compleverunt, tam in *Theologia & Jurisprudentia*, quam etiam *Medicina & Philosophia*, nomine & vice Imperatorio, possint creare *Doctores, Licenciatos, Magistros, Baccalauros, & Poetas Laureatos*, qui iisdem privilegijs, præminentijs, & honoribus &c utantur fruanturque, quibus cæteri *Doctores, Licenciati, Magistri, Baccalaures, Poetae Laureati*, qui in Gymnasio Parisiensi, Bononiensi, Patavino, Perusino, Pisano, Senensi, Viennensi, Ingolstadtensi, ve l

quo

quolibet alio Publico ac Privilegiato Gymnasio, promoti, vel ab ipsis Imperatoribus creati atque insigniti sunt.

Deinde verò indulgetur, datur concediturque Comitibus Palatinis, ut possint ac valeant etiam auctoritate cæsareâ facere ac constituere *Notarios, seu Tabelliones Publicos, & Iudices Ordinarios*, qui quæcunque instrumenta tam Publica quam Privata, Vltimas voluntates, Testamenta & Codicillos literas matrimoniales, pacta dotalia, & quascunque alias scripturas, contractuum, vel actorum etiã Iudicialium, possint facere, conscribere & publicare, quæ omnimodam habeant fidem, publicamque auctoritatem, per totum Romanum Imperium, & ubilibet Regionum & Gentium.

Tum verò indulgetur, datur, concediturque, ut Comites Palatini, Cæsareâ auctoritate possint quoque & valeant, *Liberos Naturales, Bastardos, Spurios, Manseros, Nothos, Incestuosos*, copulativè vel disjunctivè, & quoscunque alios, ex illicito & damnato coitu procreatos, aut procreandos, masculos & fæminas, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis sint, præsentibus vel absentibus, existentibus aut nō existentibus alijs liberis legitimis, viventibus vel mortuis eorū parentibus, (*Illustrium duntaxat Principum Comitum & Baronum filijs exceptis*) legitimare, ac eos, & eorum quemlibet, ad omnia & singula jura legitima restituere, eorumque genituræ maculam penitus abstergere & abolere, ipsos restituendo & habilitando ad omnia & singula jura successionum ac hæreditatum, bonorum paternorum & maternorum, etiam ab intestato cognatorum & agnatorum: arma etiam & insignia eorum portare ferreque possint ac valeant, admittanturque ad omnes actus legitimos, officia, jura, honores, ac dignitates, tam Ecclesiasticas, quàm Seculares, uti alij verè legitimi: quin imò efficiantur Nobiles, si parentes eorum Nobiles fuerint, &c.

Præterea indulgetur, datur, concediturque Comitibus Palatinis, ut possint & valeant, quoque *Tutores & Curatores confirmare, dare,*  
A 3 consti-

constituere, ipsosque causis legitimis existentibus, amovere: Nec non *filiis filiasve adoptare* & arrogare, eosque adoptivos & arrogatos facere, constituere, & ordinare; Insuper *filiis legitimis* & legitimatos, adoptativosque, in quavis aetate constitutos, *emancipare*, & patria potestate liberare: Et adoptionibus, arrogationibus, & emancipationibus quibuscunque, omnium & singulorum, etiam infantium & adolescentium consentire: *Veniam quoque aetatis supplicanti* concedere, *authoritatemque & decretum* in omnibus interponere; *Servos item* manumittere, manumissionibus quibuscunque, cum vel sine Vindicta consentire; *Minores* etiam, item *Ecclesias & Communitates* laesas, altera parte ad id prius vocata, in integrum restituere, ac in integrum restitutionem eis, vel altere eorum concedere, juris tamen ordine semper servato; Cum *infamis* etiam; tam juris quam facti, aut aliter quomodocunque, copulativè aut disjunctivè, dispensare, eosque ad famam restituere, & omnem ab eis notam abstergere, tam irrogatam quam irrogandam, ita ut de cætero ad omnes actus legitimis apti & idonei habeantur ac promoveri possint;

Itemque quòd nulli omnino hominum, cujuscunque status, liceat Cæsareæ istius creationis, erectionis, concessionis, largitionis, indulti, decreti, voluntatis, derogationis, Privilegij & Gratiae paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contravenire; Si quis autem id attentare præsumserit, is Augustissimi Cæsaris Imperijque Sacri indignationem gravissimam incurrere, ac poenam insuper septuaginta Marcharum auri puri, pro medietate Fisco, vel arario Cæsareo, reliqua verò parte injuriam passi aut passorum usibus applicandam, toties quoties contra factum fuerit, irremissibiliter ac omni spe veniæ sublatâ, pendere & solvere debeat.

Quandoquidem igitur Serenissimus, Potentissimus, atque Invictissimus Princeps ac Dominus, Dominus RVDOLPHVS SECVNDVS, Romanorum Imperator semper Augustus, &c.  
Domi-



Dominus meus Clementissimus, motu & affectu planè proprio, suffragante Augustalis Senatus Illustriumque Procerum consensu, cum propter alia quædam mea erga Rempub. merita, tum verò maximè propter exhibitam Christianam tubam, de communi Christiana expeditione adversus Barbaricam Turcicam Tyrannidem &c. Comitum Palatinorum numero & consortio, me quoque Clementissimè associare & aggregare sit dignatus, ac suprâ memoratis præ eminentijs, privilegijs, honoribus, dignitatibus, gratijs, indultis & concessionibus, quibus alij Cæsarei Comites Palatini prælucent, me etiam cohonestare, condecorare & insignire voluerit, proinde nihil magis me decere, & à me requiri arbitror, quàm sicut Augustissimus Cæsar, Dominus meus Clementissimus, in conferenda mihi dignitate & eminentia Comitivæ Palatinatus, summam Imperialem suam affectionem, propensissimamque liberalitatem & clementiam erga mea studia, Clementissimè testatus est, ut ita ego quoque omnibus ac singulis, qui me sibi prodesse posse autumant & judicant, quo ad ejus in me fuerit, operam & studium meum non denegem, sed promptè ac gratiosè deferam atque exhibeam, & talentum mihi commissum, liberaliter ac benevolè exerceam.


Notum itaque facio omnibus, me deinceps quandoocunq; commodum fuerit, cum in alijs partibus, beneficia Comitivæ Palatinatus mei, his, qui ea decèter petent, & condigni judicabuntur, communicare velle, tum verò in creandis Doctoribus, Licenciatis, Magistris, Poëtis Laureatis, Notarijs publicis, seu Tabellionibus, & Iudicibus Ordinarijs, itemque in confirmandis his, qui jam ante Notarij Tabelliones & Iudices Ordinarij creati sunt, & idoneum testimonium ad immatriculationem Imperialis Cameræ, secundum ordinationem publicam, requirunt, operam illis omnibus impendere velle, qui fiduciam suorum studiorum habent, eorumque condecorationem & testimonium publicum, à me congruenter desiderabunt: Et quò magis lividissimis subsannatoribus omnis ansa calumniæ



lumniandi præcidatur, & quasi per bullam solam Palatij temerè  
quid geratur, obijci nemini possit, legitimum examen, sicut Cæsar  
reum Diploma requirit, semper præmittam, ad scitis facultatis cu-  
jusque Antistibus, Disputationes quoque publicas celebrabo, & re-  
liqua solennia adhibebo, quæ in publicis promotionibus Academi-  
cis adhibere solent; Si qui verò imperitiores sint, eos competen-  
ter instruam, ac quò magis ante promotionem, qui ab alijs aut suo  
marte, eruditi satis non sunt, studiorum suorum curricula fœliciter  
complevere queant, ipsemet quoque operam dabo, ut Lectionibus  
& disputationibus, studia eorum diligenter ac fideliter adjuvari ac  
promoveri queant. Quicumque igitur à me sibi in aliqua parte stu-  
diorum suorum consuli succurri que desiderant, illi me quando-  
cunque voluerint, convenire, tolerabilibusque modis de eo,  
quod petent, agere mecum poterunt. P. P. V. Vitenber  
gæ 30. Septembris Anno Domini,

1605.







Fc 1249.  
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17





XXVII an 38

rogramma  
ARDI HOR=  
IVRIS VTRIVS-  
Lateranensis Palatij, Cæs  
& Imperialis Consisto-  
Comitis.

De  
*unicatione variorum*  
*mittiva sue Palatinatus.*



SAXONVM,  
asmi Hynitzl.  
Krussecken. 1605.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Inches  
Centimetres